

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertatio Academica De Fidelibus Confessoribus , iuxta  
Rom. X, 10.**

**Pfaff, Johann Christoph  
Ignati, Georg**

**Tubingae, 1717**

[urn:nbn:de:bsz:31-130502](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130502)



60 A 2691,1

EX  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.

657/23

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE

# FIDELIBVS CONFESSORIBVS,

Iuxta Rom. X, 10.

<sup>Quam</sup>  
JEHOVAH JUVANTE,  
*Adprobante S. Theologorum Ordine,*

P R Æ S I D E

*VIRO SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO ATQUE DIGNISSIMO*  
D O M I N O

## JO. CHRISTOPHORO PFAFFIO,

SS. THEOLOGICÆ DOCTORE, EIUSDEMQUE PROFES-  
SORE PUBLICO FAMIGERATISSIMO, ECCLESIAE TU-  
BINGENSIS DECANO VIGILANTISSIMO, STIPENDII  
THEOLOGICI SUPERATTENDENTE GRAVISSIMO,  
FACULTATIS THEOLOGICÆ DECANO  
SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Praeceptore suo Patris loco*

*eternum venerando,*

Eruditorum Judicio & Examini sistet

RESPONDENS.

### GEORGIUS IGNATI,

Scepufiensis Hungarus,

*Ad diem VI. Novembris*

ANNI JUBILÆI

quo &

GraeCa CapVt rVrCae Caesl CaroLVM ALba reCepIt  
olIM qVae fVerat }  
flet & VLtro lterVM } PannonIs ALba DeCVs.

---

TUBINGÆ, LITERIS HIOBI FRANCKII

1717

CONFESSORVS

DOMINO


CHRISTOPHORO

REALFIO

GEORGII

...





Σὺν τῷ Θεῷ.

**D**ecernenti Anno hoc Jubilaeo specimen ali-  
 quod publico DOCTISSIMORUM VI-  
 RORUM conspectui sistendum, occurrê-  
 re nonnulla, quae si tempori fauissent,  
 pertractare fuisset animus. Quod anime  
 voluens, ad locum a SUMME REVERENDO DN.  
 PRÆSIDE, DE ECCLESIA NOSTRA ET ALMA  
 EBERHARDINA DOCTORE LONGE MERITISSI-  
 MO, PATRONO, PATRE ET PRÆCEPTORE filiali  
 observantia devenerando, assignatum, pro viribus elabo-  
 randum, me accinxi. Materia quippe non solum amplis-  
 sima, & tempori huic nimium conveniens, sed etiam  
 maxime utilissima est: in qua non solum DEI; salvando-  
 rum *hominum* Adami peccato collapsorum; & *mediorum*  
 ad salutem recuperandam destinatorum; sed etiam *usus*  
 horum praescriptorum *mediorum* mentio fit ab Apostolo.  
 Ut autem in expendendo Dicto hoc rite procedamus, tri-  
 bus Sectionibus, ob brevitatis studium, tractationem hanc  
 circumscribere visum est. *Prima* erit Sectio *Exegetica*  
 Cap. I. *Connexionem & Scopum* dicti sistens. Cap. II. *Reso-*  
*lutionem Grammaticam* tradens. Cap. III. *Resolutionem Lo-*  
*gicam* exhibens. *Alter* *Porismatica*, consuetaria quae-  
 dam e textu fluentia sibi vindicans. *Tertia* etiam brevyter  
*abusus* dicti hujus exponens: Tu autem Spiritus Sancte  
 Coeptis clementissime annue.

A 2

Verba

Verba textus authentica haec sunt,  
Rom. X, 10.

Καρδιά ᾧ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην· σῶματι δὲ ὁμολογεῖται  
εἰς σωτηρίαν.

Versio vulgata haec est:

*Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit  
confessio ad salutem.*

Ne autem cumulentur versiones, cum inter se conueniant,  
ceteras omitemus.

## Sectionis I. Cap. I.

Connexionem & Scopum textus tradens,

§. I.

**A**Tque ut initium faciamus, operae pretium nos facturos  
existimamus, si pauca de Scopo & συναφείᾳ seu cohaerentia  
dicti praemittamus, quum & ipsa part. γὰρ connexionem expla-  
natiuam insinuet. Capite itaque nostro dissertationem suam  
dirigit Apostolus aduersus quosdam e Iudaeis conuersos, qui  
doctrinam euangelicam iustificationis, veteri Iudaeorum insti-  
tutioni iterum mancipare voluere. Ne autem duriter in eos  
inuehi videatur, humilitate Apostolica mox in initio fratres eos  
compellat; εὐδοκίαν siue propensam voluntatem suam ad oran-  
dum pro iis, eorumque ζῆλον Θεῶν vehemens studium DEI co-  
lendi contestatur. Sed quum zelus ille non ex notitia v. 3.  
sed potius ex ignorantia, v. 4. mistam secum habens iustitiam  
propriam, emanauerit, grauisimis eos reprehendit argumen-  
tis, docens Legem finem suum sortitam fuisse in Christo ad  
quem tendebat.

§. II. Is quippe illa consummatio, perfectio, siue com-  
plementum Legis est, quod nobis per fidem applicamus. Quod  
assertum suum paulo post exemplo Moysis Legem per se latam  
durissima claudentis clausula illustrat & comprobat. Profert  
ad-

adhaec e contrario iustitiae ex fide per profopoeiam loquentis verba: Quod videlicet iustitia ex fide non magna & difficilia exigat ab eis ad consequendum iustitiam Christi; non enim deducendus est eis de coelo Christus, nec e subterraneis specubus educendus, sed omnia in promptu esse. Nihil itaque opus esse, nisi sola in Christum fide, quae ex verbo Dei praedicato ab Apostolis hauriri potuit. Verbum igitur istud fidei non longe quaerendum esse, cum ad manum habeatur; quippe in ore & corde eorum consistat. Quam suam rationem Apostolus dicto sequenti una cum v. 10. ne quid ad notitiam huius fidei desit, luculenter demonstrat. Hinc connexio iam per se patet. Scopus vero vt breuius indicetur, est *Summam Doctrinae* de consequenda coram DEO iustitia, & vita aeterna tradere.

## Sectionis I. Cap. II.

### Resolutionem Grammaticam tradens.

**K**αρδια) ή καρδια varia in Auctoribus habet significata: Alibi metonymice pro *animo virili* & *forti* sumitur, uti apud Plutarch. Apophth. *Μάχαιρον μὲν ἔχει Καρδιαν δὲ ἐκ ἔχει*, Er hat aber kein Herz im Leibe. Hung. vagyon ugyan fegyvere de szive nincsen. Saepe ponitur etiam metaphoricè, pro *medio rei alicuius*: Sic apud Theophrastum: *Καρδια δένδρον* vel *ἐγκάρδιον*, h. e. medulla arborum. Adde Ion. II, 4. *בְּרֶכְבִּי יָמִי* in medio maris. Matth. XII, 40. Sumitur etiam passim in Scripturis S. pro *parte corporis animalis principali* & *notabilissima* cum facultatibus animae, uti Matth. XV, 18. 19. Marc. VII, 19. seqq. Cap. XII, 30. 32. Act. XV, 9. 2 Cor. I, 22. Gal. IV, 6. Hebr. IV, 12. Hebraica phrasi *partem volentem* & *appetentem* significat. Vid. Gen. VI, 5. C. VIII, 21. Plerumque denotat etiam metonymice *Conscientiam*, ut Ioh. III, 20. 21. Vt omittamus specialiora passim, cum sc. *Σύνεσις* & *Συνίεσις* Act. XXVIII, 27. *ἐνοιαί* Act. VIII, 22. *πίσι* Rom. X, 10. cordi tribuntur. Conf. de hac voce Flacium. Clave P. I. p. 321, E. Schmid. in Notis ad N. T. In *nostro loco* valet *tertia* significatio.

γὰρ) non semper solet esse *causale*, sed aliquando etiam *περίελλον* Grammaticis sic ex Dialecto praecipue Atticorum dicitur, quod in specie aut sensum *explanat*, aut *connectit*, aut *limitat*, aut *transitionem* vel *illationem* notat; vel etiam aduersativae particulae significationem obtinet &c. Sic Matth. X & VII 23. τί δὲ κακίαν ἐπίησεν, *complet*. Idem fit Marc. VIII, 36. Luc. IX, 25. C. XI, 58. In loco Matth. XVI aliquam rationem seu argumentum notat. Sic Matth. XXV, 35. non *αἰτιατικώς*, sed *ἐπομνηστικώς* aut *συλλογιστικώς* fumitur; ita ut bona opera sint aliqua indicia eorum, quibus regnum coelorum paratum fit. Conf. E. Schmid. ad Matt. I, 18. *critice* de hac re differentem. In nostro loco explanativum valet.

πιστεύεται) vox alias ubique obvia h. l. impersonaliter posita venit a *πισθεῖν*, quod tres classes significationum habere videtur. I. Etenim significat idem quod *putare*, *fidem habere*, *credere* seu *certum esse* de hac vel illa re etiam in *conscientia*; sic Rom. XIV, 2. 1 Cor. XI, 18. & alibi. II. Significat etiam idem quod *confidere* seu *fiduciam habere*, cuius exemplum extat Ioh. XX, 29. Rom. X, 10. III. Passivum eius denotat idem quod *concreditum esse*, uti Rom. III, 2. 1 Cor. IX, 17. *ὀκονομίαν πεπίστεύμα*, dispensatio mihi commissa est Hung. ream bizattatoit a gondviseles. Nobis h. l. *secunda* significatione convenit, quae non modo firmiter assentiri, quam fidem ne Daemones quidem inficiari possunt; sed certa quoque cordis fiducia, beneficia mortis & resurrectionis, utpote remissionem &c. amplecti, docet.

Ἐν) denotat interdum Attice *in*, ut Marc. I, 9. *Πορεύς ἐς εἰρήνην*. Hung. meny el bekeességben. C. II, 2. C. XIII, 16. Rom. VIII, 21. quae quidem heterosis Ebraea est ad formam Genes. XLIX, 29. Interdum *πρός ad*, Matt. XV, 24. Luc. XI, 49. Marc. XV, 43. Saepe *ante* seu *coram*, ut Ioh. XIII, 28. Actor. XXII, 30. Aliquando *ἐξ de*, Eph. V, 32. Item *pro*, 1 Cor. IV, 3. *adversus*, Luc. XII, 10. Act. XXV, 8. *propter*, 2 Cor. II, 12. Aliquando qualemunque tantum rei ad aliud notat analogiam, Ioh. XI, 4. Luc. I, 35. Rom. III, 26. 2 Cor. VII, 10. Phil. I, 19, 2 Thess. II, 11. Vid. Glass. Phil. p. 790. Hülfem.

Vin.

Vindie. p. 201. Interdum etiam redundat more Ebraeo, no-  
tante Polo T. IV. in Matt. XIX.

Δικαιοσύνη) quae est vel Dei vel hominum: DEI de-  
notat vel *universalem DEI reſtitutionem & ſanctitatem*, quae in-  
eo nobis declarata est, quod peccatum odit; vel *iudiciariam*  
*DEI aequitatem*, qua cuique suum, bonis praemia, malis vero  
poenas tribuit, tanquam iudex iustus; vel *veritatem in ſervan-*  
*dis promiſſis*; vel *Bonitatem & Misericordiam DEI*. Hominum  
primo est illa, quae ad iustificandum coram DEO, homini  
confertur, capite nostro *iustitia fidei dicta*. Secundo sumi pot-  
est pro *iustitia ex Lege*. Tertio metonymice pro *beneficentia &*  
*liberalitate erga pauperes*. 2 Cor. IX, 9. Nobis εἰς δικαιοσύνην  
h. l. significat in fine ad iustitiam hominum, primo significato. Vid.  
Polo T. IV. p. 84. 461. T. V. p. 35. & 1505.

Στόματι) denotat interdum metaphorice *os gladii, στόματε*  
*μαχαίρης*, Heb. XI, 34. quasi gladiis ora mordentia h. e. vul-  
nerantia tribuerentur, ita *μάχαιρα δίσημο*, Hung. két elu-  
kard Hebr. IV, 12. in Hebr. idem fere habetur Exod. XVII,  
15. Num. XXI, 24. Deut. XII, 15. Ios. VI, 21. Alibi proprie  
os denotat, ut Rom. X, 8. 2 Ioh. II, 12 *στόμα πρὸς στόμα*. Hung.  
Szemben, Matt. XII, 34. 35. *ἐκ τῆς φωνῆς τῆς καρδίας*  
*τὸ στόμα λαλήσῃ*. C. XXI, 16. Luc XXI, 15. &c.

Δὲ) varia etiam denotat: Interdum *autem*; aliquando  
differentiae seu oppositionis signum est. Aequivalet etiam  
*τὴν καὶ συμπλεκτικῶς*, quod & in nostro loco designari patet  
ex v. 9.

ὁμολογῆται) impersonaliter h. l. positum, venit ab ὁμο-  
λογέω, *inquit idemque dico, consentio, assentior*, cuius pars pri-  
ma vocis est ὁμοί, quae denotat rem aliquam eiusdem condi-  
tionis & naturae, seu essentiae atque affectionis; non autem  
ὅμοι quod significat simul vel tempore vel societate; neque  
ὁμοιον simile. Quarum vocum significationes proprias Patres  
primitivae ecclesiae, Arium, veram & coessentialem Iesu  
Christi Deitatem cum Patre, negantem, refutando, vindica-  
vere. Qui interim Filium Patri ὁμοίον simul cum eo coexi-  
stentem, sicut σύγχρονοι sunt ὁμοίον; & ὁμοίον similem esse;  
& hinc

& hinc eum esse DEum propter similitudinem, dixerat. Sed postquam Patres ei τὸ ὁμολοσιον obiecissent, latibula eius patefacta sunt. Sumitur [autem] I. improprie pro *promittere*, Matth. XIV, 7. Hinc Passium illud ὁμολογησθαι promitti venit. II. Significat idem quod *consentio*. III. Significat etiam *confiteri*, ut in loco nostro. Adde Matth. X, 32. Luc XII, 8. Ioh IX, 22. C. XII, 42. Act. XXIII, 8. C. XXIV, 14. vel *profiteri publice*, Matth. VII, 23. vel *confiteri gratis celebratis*, Hebr. XIII, 15. Interdum denotat idem quod *pacisci*, ut ὁμολογεῖν μὴ εἶναι pacisci mercedem. Conf. Ravan. Bibl. S. T. I.

σωτηρίαν) hic nil quod morari posset deprehenditur, nisi velis σωτηρίαν Iudaeorum, quod sacra pro obtinendis vel obtentis beneficiis notat, nobis obvertere. Alias certum est per σωτηρίαν intelligi posse salutem tum temporalem, tum aeternam. Hoc loco quae intelligatur patet ex v. 13.

### Sectionis I. Cap. III. Resolutionem Logicam exhibens.

§. I.

**A**bsolutis praemittendis conferimus nos ad Cap III. dictum nostrum duabus propositionibus comprehensuri. Harum primae Subi. est voc. *cor*, quae, uti supra monitum nobis significat *partem* illam nobilem *corporis* humani cum facultatibus animae *cognoscitiva* & *volente*. Cor quippe primaria sedes animae ob Principatum & regimen sibi per Scripturam tributum, perinde ac si ea ibidem praesideret & *cogitationis*, *electionis*, *volitionis* & ipsius *actionis* exerceret officia. (Conf. Lyf. Syst. 690. & 1476. Gerh. I.L Theol. T. II. p. 656.) tamen Philosophi in contrarium disputent (vid. Picolom. Phys. de Sede animae Cap. III. seqq. p. 1090. seqq.) nobis esse videtur.

§. II. Huic Cordi Apostolus nostro loco *fidem* tribuit; Matthaeus XIII 19. & Lucas VIII, 12. *semen verbi*; David Psal. XXVIII, 2. *spem*; Paulus 2 Cor. IV, 6. *illuminationem*.  
Sicut

Sicut etiam ante nostri conuersionem cordi affigitur *malitia*, Gen. VI, 5. *Durities* ad instar lapidis, Ezech. XI, 19. *Stultitia*, Rom. I, 21. & similia passim. Vnde & Iudaei Hebr. III, 12. necessum habent *βλέπειν*, ne sit in ipsis *καρδία πονηρῆ ἀπιστίας*; seu ne fides eorum in oribus tantum existat; quin potius ipsi cordi tanquam propriae fidei sedi, dignitas restituantur.

§. III. Et quidem non aliquam cordis partem intelligit hic Apostolus, sed totum Cor. Non enim licet cor partiri, atque sic alia parte credere, alia non; vel aliter credere atque sentire: quippe sic una parte liceret fiduciam locare in eum, qui est DEus, alia in eum qui non est DEus; sic quoque liceret ex una parte cordis sui credere per gratiam Iesu Christi iustitiam, & salutem nos consecuturos, ex altera simul statuere, propria dignitate eandem merituos, quod hoc ipso Capite conatur euertere Apostolus. Hinc Philippus ab Eunuchus Societati Christianae se aggregare volenti, totius cordis requiuit fidem, Act. VIII, 17. Vnde & Augustin. Tom. IX. Tract. XXVI. in Ioh. ex dicto nostro id elicit: *Neminem credere inuitum*; tametsi trahi dicamur Ioh. VI, 44. Quod etiam idem Aug. exponit non de tractu *violentiae & necessitatis*, sed *voluntatis, delectationis & voluptatis*. Conf. F. C. p. 582. & 680. Quod tamen non ita sumendum, ac si Conuersio a nostra promanaret voluntate: nam haec ipsa mera Gratiae Dei operatio est, Phil. I, 29. sed quia nemo ad credendum Euangelio, & per id annunciatae gratiae Iesu Christi cogitur. Conf. Form. C. pag. 656. seqq. Interim cauendum est, ne quis illa loquendi formula *ὄψεσθε τί* celet, uti monet B. Feuerb. Oper. Th. p. 876. Et sic, vt concludam, credendum putat Apostolus corde, ad refutandam fidem Iudaeorum recens Christianae Societati coniunctorum, qui in intellectu, & eius assensu fidem consistere rati sunt; & ad designandam, intellectusque operationibus etiam addendum voluntatem, qua interne movemur, ad ferventissime desiderandam & obtinendam Saluatoris nostri gratiam, eo modo, quo promissa, & exhibita est.

§. IV. Praedicatum Propositionis primae, est *credere ad iustitiam*. In quo, *credere*, non est fidem Legi Ceremoniali,

B

FO-

Forensi & Morali, atque sex hac consequentibus operibus adiungere; tametsi & in Novo Testamento Timotheus, & alii ad non offendendas tenellas fidelium conscientias, semet circumcidi passi fuerint; item nonnulli sese etiam Legis exactiōni subiecerint, non tamen inde quaerentes salutem, & iustitiam apud DEum. Neque etiam intelligitur fides miraculosa: nam haec etiam cum operibus carnis exemplo Iudae stare potest; iustificans non item, 1. Tim. I, 18, 19. Sed h. l. credere est I. nosse Christum passum mortuum, resuscitatum, nobisque in iustitiam donatum. Hinc quoque fidem esse notitiam patet. Conf. Es. LIII, 11. Ioh. XVII, 3. 1. Tim. II, 4. 2. Tim. III, 7. II. Assentiri huic Gratiae, & quidem corde, Ioh. III, 33. III. Fiduciam habere seu iustitiam Christi suae iustitiae loco appropriare. Heb XI, 1. Est itaque fides nostra certa *cognitio*, firmus *assensus*, & *fiducia* promissionis Euangelii de Gratia Christi; *initium* iustificationis & *pars* iustitiae nostrae, quae se habet tanquam *organum* aliquod, seu *dispositio* ad iustitiam assequendam necessaria. Hinc dicitur iustitiam asserre non *effectine*, quasi ad iustitiam habitualem disponderet, aut informaret, aut habitualiter iustos efficeret; nec *materialiter*, quasi ipsa sit illud, quo iusti censemur; sed *obiectine*, quatenus in Christum, iustitiam nostram vergit; & *organice*, quatenus eam apprehendit, & sibi reddit propriam.

§. V. Obiectum fidei extra locum nostrum designatur. Vbi tamen notandum; Obiectum fidei *generale*, quatenus notitia & assensus est, esse *omnia* illa, quae *revelatione*, *authenticitate*, & *veritate DEI* nituntur, certa fide a nobis acceptanda; ita, ut nemo dubius animi de hac vel illa veritate reddi possit. Inter ea, propius nos ferientia sunt: Dogma de *Gratia DEI vniuersali*, quod est iustitiae & salutis nostrae praecipuum fundamentum; *Meritum Christi vniuersale*, non tantum pro *paucis*, seu Calvini sensu, *electis*; *Gratia* & *vocatio Spiritus S. vniuersalis*. Etenim, hunc in modum tota Scriptura S. nobis Gratiam DEITATIS Personarum describit. Obiectum *speciale*, quod alias *Gratia Domini nostri Iesu Christi* dicitur, est credere Resurrectionem Christi, v. g. quae tanquam consequens Oeconomiae Christi

in-

includit IESUM fuisse verum hominem; mori potuisse, & mortuum fuisse; passum & vivificatum fuisse; his actibus suis salutem, peccatis nostris amissam, nobis restituisse, iustitiae DEI satisfaciendo, & similia. Conf. 1. Cor. XV, 17. Sic itaque fides nostra gratiam, & reconciliationem nobis partam apprehendit; & quidem, ut obiectum & fundamentum fidei, & salutis nostrae unicum; ita, ut nihil ei tanquam, ad consequendam iustitiam & salutem aeternam necessarium, addi possit vel debeat; ut Christo Mediatori unico plures non addantur; nec merito Christo, merita siue hominum siue Angelorum adiungantur; quemadmodum id ex actis inter Paulum & Pseudo-Apostolos patet. Cum enim hi cum Gratia Salvatoris Circumcisionem, & Legem Moralem coniungerent, vrgentes ea etiam necessaria esse ad salutem: cum reliquis Apostolis etiam Paulus restitit. Conf. Act. XV, 1. Vberius & clarius habet Gal. II, 16. Eph. II, 8. Quin & tam acriter impugnavit hunc errorem, ut putarit Gratia IESU CHRISTI Passionis & Resurrectionis fructu eos excidere, Gal. II, 21. C. V, 24.

§. VI. Etsi autem negemus B. O. requiri ad iustificationem, non tamen negamus esse necessaria, quin potius & in iustificatione statuimus & requirimus eorum praelentiam. Qua in re tamen monendum, ne Libris Symbolicis contradicere videamur; dum VV. Patres Bergenses in F. C. stricte sic dicta, Art. III. Antith. XI. p. 587. & supra Antith. VIII. sub finem. In solida & plana repet. p. 694. & Magnus ille Chemnitius praelentiam B. O. in iustificatione ceu dogma falsum repudiant: eos separare B. O. a fide in iustificationis actu, non statu (loquimur cum B. Bayero Disp. de Nexu Iustif. & Renou. §. 34. & 45. & cum B. Sonntagio Migad. p. 21. 22.) adeoque Libros nostros Symbolicos nobis non contradicere. Nam illi fundamentum iustificationis & saluationis; nos oeconomiam & constitutionem vniuersae sanctificationis respicimus. Illi abstracte, nos concrete. Illi cum B. Luth. Comm. Gal. f. 158. fidem extra opus; nos cum opere accipimus. Imo ipsi Patres l. c. p. 586. dicunt: *non tamen talem fidem iustificantem esse fingendam, quae una cum malo proposito peccandi videl. & contra conscientiam*

tiam agendi, esse, & stare possit & p. 688. Conf. m. p. 139. In 2. Add Luth. Praef. Ep. Rom. ubi dicit: Unmöglich ist Werke vom Glauben scheiden / ja so unmöglich als Brennen und Leuchten vom Feuer mag geschieden werden. Et Hutter LL. Comm p. 486. *Fides sine B. O. non est fides viva, sed mortua, non minus quam auris anulsa a corpore est mortua auris, & oculus anulus est mortuus oculus.* Addimus etiam Paulum priori, Iacobum posteriori, hoc *Chrym* decidisse modo. Conf. Epicrisin VV. Dnn. Autorum der Unschuld. Nachricht. A. 1712. p. 1038. seqq. At obiiciat quis nostros Theol. fidei iustificantis indolem dicere *passivam receptivam & relativam*: Resp. cum VV. Aurt. Unschuld Nachr. l. c. respicere hos Theologos fundamentum salutaris, & hinc fidem *activam* excludere. Inde etiam alii *adhaesivam*, alii *indivisibilem* cum Christo *unionem FIDEM IUSTIF.* appellant. At fidem per Spiritum S conceptam vir utriusque non esse efficacem & validam nemo Orthodoxorum statuit.

§. VII. In Praedicatione nostrae determinata designatur etiam finis fidei in verbis: *ad iustitiam*. Quae quidem non est propria: nam repugnat credere ad iustitiam & propriis operibus consequi iustitiam. Sed intelligitur iustitia Christi, Passione eius acquisita, & nobis gratis donata. Et hic est cardo totius Disputationis Paulinae, distinguere inter iustitiam *internam*, & *externam*, Legis & Evangelii; & ostendere ad internam non dari aditum, nisi per Christum. Iustitia itaque haec imputata, ex parte nostrae gratuita, a peccatis nos absolvit, iustos & sanctos Rom. III. per totum, nos reddendo; & quidem sine labore, ipsa fide totius laboris compendium faciente.

§. VIII. Emensi priorem resumimus posteriorem Propositionem nostrae propositionem, brevius ob convenientiam *originis*, & *Obiecti* cum priore dicti nostri propositione tractaturi; ut quantocumque acie rite disposita bellum moveamus. In qua subiectum Propositionis & Confessionis est *os*, quod, si Confessionem generalius quam supra dictum est, scilicet etiam pro contestatione quacumque sumas, non solum ipsum *os* proprie notatum, sed etiam *οὐκ ὀρθόδοξοῦσιν* omnes corporis partes

tes designabit: nam sicuti negant nonnulli Deum *factis Tit 1, 16.* ita etiam alii factis IESum *Dominum* agnoscunt; item sicuti opera externum contestationis signum de interno nobis ob oculos sistunt; ita etiam ipsa Confessio, quae ore fit, externum de interno nobis sistit testimonium. Unde Distinct. inter Confessionem *verbalem* & *realem* oritur. Nos hoc loco os in specie denotari cum B. A. Osiandro & aliis *infallibilem* Confessionis verae, cum moribus externis ceu adiuncto statuentibus nexum, haud inficiabimur: inconveniens quippe foret aliud statutare ore, aliud suis peragere moribus. Quaeri hic potest cur ordo Propositionum immutetur? R. supra Paulum secutum fuisse Mosem, h. l. vero id exposuisse. Adde supra eum egisse de confessione publica ad alios conuertendos; nostro vero loco *subiective*.

§. IX. Confessio *generalis*: est publica *Divinae veritatis professio*. *Specialis*: est Gratiae Domini N. I. C. professio. Et haec ipsa dicto nostro a Paulo exigitur; ne fideles C. euadant Nicodemitae. Unde patet *necessitas* eius, quam citra locum nostrum Christus ipse *ὁμολογία* sua Iudaeis, Phariseis, Pilato veritatem professus Ioh V, 6 7. 8. Matth. XXVII, 11. Io. XII, 37. comprobatur. Alias etiam peccassent Apostoli hostibus veritatis Divinae, veritatem ipsam professi, nullas propterea tribulationes, vel ipsam mortem, de quibus Acta publica plena sunt Conf. 1. Cor. IV, 11. 2. Cor. IV, 2. 2. Tim. I, 11. 12. Baptista quoque nimium errasset Ioh. I, 19 Matth. XI, 4. Dauides minus recte dixisset Psalm. CXVI, 10. Ut taceamus connexionem eius perpetuam cum fide Ps XV, 2. XLV, 1. LX, 4. LVII, 8. LXI, 3. LXIII, 6. LXXVII, 4. CXV, 1. CXVI, 12. 1. Cor. IV, 13. Ioh. XII, 42. Quibus adde verba Apol. pag. 140. *Non est autem firma fides, quae non ostendit se in confessione.* Confessio nostra insignitur etiam praeclearis promissionibus Matth. X, 32. Apoc. III, 10. 11. Unde patet eius utilitas, quae se etiam ad alias personas saepe, extra confitentem, exemplo Nebucadnezaris a Daniele conuersi Dan. III, 18. 29. exerit.

§. X. Confessionem autem requirere etiam *sinceritatem* patet ex dicto nostro: alias enim non esset cordis confessio

fed diuerfarum a corde rerum profufio. Requirit quoque Confeflio noftra *constantiam* etiam, quae fidem corde conceptam continuet, fpernendo quaecunque mundana ad feducendum producta. Paulus enim coicidi fc. perfeueraturo adfcribit iuftitiam; & fic etiam confefioni (intelligendum) perfeueraturae merces fua tribuetur. Quae merces nobis designatur verbis: *ad salutem*. Quod ne diutius immoremur hac explicatione contrahemus: *Ore fit confeflio ad salutem ( fide fola apprehenfam ) aliis teftificandam & declarandam*. Unde proum eft ficuti a fide, ita etiam a confefione nos propria excludere merita.

## Sectio II. Porismatica.

*Por. I.* Hinc patet fidem iuftificantem abfolui etiam fiducia.

Quidquid enim directe, ac formaliter tendit, vergitque ad iuftitiam in foro diuino validam, & confequenter ad falutem aeternam, id formaliter confiftit in fiducia. A. Fides faluifica. E. Maior patet ex natura & indole fiduciae cordis quae tum adefle dicitur, quando cor aliquod bonum praefens & ad fe pertinens apprehendit, & in id tendit, tanquam in medium, arduum per id bonum obtinendi. Minor in noftro refulget oraculo. Imo fi fola notitia & nudo affenfu crederetur ad iuftitiam: fequeretur & hypocritas fcientes & affenfum fuum addentes, in paffionem mortem & Refurrektionem Chrifti faluatum iri; quod tamen difertiffimè facris repugnat literis. Hinc Matth. VII, 21. hypocritis & infidelibus. Iac. II, 19. malis fpiritibus fides fiducia carens ad fcribitur. *Au- ugeus* eft. Bell. lib. I. de Iuftif. cap. VII. & Concil. Trid. Sefl. VI. c. XII. dubitationem potius in locum fiduciae fubftituentium, contra ipfum Ius Canonicum ab iis pari pietate cum fcriptura venerandum. Vid. Dogm. Pr. M. Dn. Praefid. p. 33. Quorum omnium Argg. fi volupe fuerit ad pugnam amandamus, refponfuri cum fcriptura paffim. A. C. Art. IV. p. 11. Apol. p. 69. 71. feqq. it. 225. Epit. F. C. p. 535. Dogm. Prot. M. Dn. Praef. p. 31.

*Por. II.*

*Por. II.* Hinc: neminem ad abiurandam veritatem in conscientia sua de ea conuictum, cogendum; imo ne infidelem Ecclesiae verae vel haeticum repugnante eiusdem voluntate compellendum; aut ob non praestitum obsequium morte plectendum esse existimamus.

Si enim publica fidei saluifica professio tendit ad salutem, nulla vi supplicisue nullis est sufflaminanda aut cohibenda. Imo si ipse Paulus corde credendum esse putat, quomodo vi vel supplicis cor ad id asserendum cogi possit? cuique patet. *Violentia enim haec est iniqua, minus idonea, noxia, aliena a praxi Apostolorum, & inimica naturae & indoli Religionis Christianae.* Quod solidissime demonstrat M. Dn. Praeses in Syllog. Qu. pag. 83. Hinc & Laetantius: *Quis imponat mihi necessitatem credendi quod nolim, vel quod velim non credendi?* Conf. Dogm. Pr. p. 112. Syll. p. 85. Non obstantibus tamen his Hierotheus Boranowsky (fictio nomine dictus) im gerechtfertigten Gewissens Zwang/ Meyß 1674. 12. 10<sup>te</sup> plag. secunda editione, duobus Scripturae S. aduersis fundamentis nixus, ad caedendos & aliis supplicii speciebus tollendos haeticos procedit. Primum eius Fundam. est: *Ecclesia potestatem in conscientias habet.* Secundum *Haeresis est peccatum.* Omnium vero eius Argg. Maior in locis citandis consistit, dum dicit. p. 95. *Wer des Geistlichen Hohepriesters Ausspruch nicht gehorsame / der sey des Todes würdig.* & p. 33. *die Kirche müsse das weltliche Schwerdt ergreiffen / daß sie ihre Kinder dem Teufel nicht in den Rachen kommen lasse.* p. 89. *Wer seinen Feind will umbringen / der muß ihm auff einmahl das Leben nehmen / so ist er sicher und hat Friede. Er stüpf er ihm aber nur immer mit Psriemen / und kommt ihm nie außs Leben / so macht er sich und ihm viel grössere Ungelegenheit / und gelangt niemahls zur Ruhe.* Also auch wer die Râzerey will aussrotten. &c. Minor itidem omnium eius Argg. in eo consistit, dum nos & Reformatos, inter alios, Cap. XXIII. dicit haeticos

ticos

ticos. Conclusionis pars unica (generalis enim implicita est) p. 97. habetur: E. de tempore est ad persequendos Euangelicos in Silesia. Ad maiorem suam firmandam producit Cap. XXII. Nos quoque statuere necessitatem coactionis conscientiarum: dum errore non finimus propagari &c. Minoris probandae causa p. 186. profert: Nos cum Reformatis esse peiores Iudaeis (& sic puta peius tractandos) & p. 182. Iudaeos ita uti nos cogi non posse: quia eos non peperit Ecclesia Rom. Obiectiones etiam quas suis aduersas esse putat positionibus, a Cap. IV. -- XX. soluere contendit Inter quas Rr. etiam p. 54. Apostolos ad cogendum potestatem non habuisse dicit. Albaniquoque p. 214. caedes approbat. Sed dum Parisienses sanguine madidas nuptias comprobare non valet p. 216. trepida excusat conscientia. Verum auctor hic immemor dicti Bathorei, & ignarus characteris fidei. Matth. X, 28. nec Scripturam, nec Patrum Traditiones obseruauit. Vnicum notandum (cetera enim leuis sunt momenti) confundere Auctorem, dum nos agit coactionem statuere. *coactionem* ipsam cum prohibitione. Vberius hanc materiam tractauerunt Grot. de I. B. & P. L. II. c. XX. §. 48. n. 1. & §. 50. Eminentiss. D. Cancellarius Observ. ad Grot. p. 489.

*Por. III. Ecclesia vera rectissime in Ecclesiam visibilem & inuisibilem distinguitur.*

Aduertendum I. Nos non diuidere Ecclesiam tanquam genus in species, quasi nos fingeremus duas Ecclesias specie sibi oppositas, sed potius distinguere rem secundum diuersos status. II. Nos non agere de Ecclesiae triumphantis inuisibilitate, sed militantis. III. Hos non negare Ecclesiae visibilitatem qua coetus est & a singulis conspici & designari potest. Sed IV. statuere: Ecclesiam hanc *visibilem*, esse etiam inuisibilem, si spectes corpus illud mysticum, cui fide in Christum desponsati vniuntur; ita tamen, ut & vnio illa membrorum, & influxus capitis in membra. & compages illa sancta corporeis nequeat conspici oculis. *Kατάθεσις* nostra haec est ex I. nostro. Vbiubi enim fides latet in corde, & confessio incurrit sensus ibi

res

res est partim visibilis, partim inuisibilis. A. in Ecclesia. E. Vnde Ecclesiam Catholicam & communionem Sanctorum credimus. Nec fides est quod vides. Conf hic Fratres Wallenburchios, Ecclesiam visibilem, & inuisibilem agnoscentes, T. II. f. 4. a. Aduersarii rident hanc distinctionem ceu ideam Platoniam, & a nostris Theologis hac de causa excogitam, ut beneficio eius, Obiectioni, in *Lutheranico usquam* & *nunquam*; *Nihil ad rem, nihil ad propositum* Dn. Mart. Szent-Ivanyi, recens factae, facilius dari possit responsio, dum nimirum obiiciunt: ubi Ecclesia Lutherana ante Lutherum extitit? demonstrandum nobis esse. Obiectionibus refutandis hic in Dissert. nostra non immorabimur, pertractauit id B. Osiand. Cancell. P. VII. p. 57. & adhuc Dei gratia superstes Reverendiss. Dn. D. Jaeger, Syst. sui P. IV. p. 81.

*Por. IV.* Confessio est necessaria, exclusa omni simulatione, dissimulatione, aequiuocatione, & mentali reservatione.

In hoc graui sed Ecclesiae pressae perutili puncto praemitimus I. Fidem iustificantem non semper esse tam fortem, ut in publicam erumpat confessionem. II. Tametsi publica Christi confessio interdum a fide iustificante abest: nunquam tamen abnegationem Christi simul cum fide persistere posse. Veritas Porismatis nostri hinc patet; Si enim confessio fit ad salutem testificandam, & simul tanquam ad continuandam & conservandam fidem nobis ab Apostolo iniungitur; sequitur eam esse necessariam & quidem exclusa omni *simulatione*. Vnde & 1. Pet. III, 15. profitendum esse omni experienti tam publico quam priuato, dicit Apostolus; ne & priuatum hominem simulatione vel dissimulatione offendamus, indicantes nos magis reuereri ipsos homines quam DEum. At longe adhuc grauior nobis hinc oritur quaestio: Num tempore persecutionis licitum sit fugere, vel se occultare, ne cogatur quis respondere de rebus fidei, ad pericula euadenda? Hic Rhodus! hic Saltus! Quam quaestionem plurimi, freti dicto Saluatoris Matth. X, 23. &

C

exemplo

exemplo Pauli Actor. IX, 25. 2. Cor. XI, 33. Athanasii, & aliorum  
 (de posterioribus vid. Apol. de fuga Athanasii) addentes etiam:  
 se per id non negare fidem dum fugiunt, sed fugere periculum  
 negandi, affirmare. Verum enimvero fugere non semper &  
 ubique licitum esse nobis dicto nostro, conuictis placet. Inprimis  
 Episcopis & Pastoribus, si charitas postulet ad remouendum  
 etiam *scandalum* & incredulitatis *suspicionem* apud suos, fugere,  
 minime licet: obseruatis tamen externis circumstantiis, Pasto-  
 ris vel Episcopi interna animi dispositione, & inprimis *caussa*,  
 quae aliquem ad capeffendam fugam impellat. Vid. Decisio-  
 nem Quaest. huius Aug. Epist. CLXXX. & in Libro Gallico: les  
 devoirs des pasteurs & des peuples par rapport a la persecu-  
 tion, & au martyre &c. Quid vero intelligamus per Simul.  
 Dissimul. &c. paucis declarandum est. Grot. libro incompara-  
 bili de L. B. & P. lib. III. cap. I. §. VI. VII. seqq. Dolum, Labeo-  
 nis auctoritate nifus distinguit in dolum in actu negatiuo seu  
*dissim.* & dolum in actu positiuo. *Prims* dicit Reipublicae Di-  
 rectoribus esse licitum, tractis in suam partem sententia Augu-  
 stini, Ieremiae Historia C. XXXVIII. & Abrahami factio Saram  
 sororem appellantis; non tamen in omnibus. *Posterius* dicit  
 esse vel in rebus, vnde *Simulatio*; vel in verbis & nutibus;  
 vnde *Mendacium*. Hoc posterius pronunciat esse licitum, si  
 nullum inde sequatur nocumentum, quod firmandi causa,  
 profert Luc. XXIV, 28. *περὶ ποιεῖτο* speciem praeferre longius  
 ituri, & Marc. VI, 48. Christum praeterire volentem Apосто-  
 los nauigantes (nisi impense rogaretur) Act. XVI, 3. Pau-  
 lum cum circumfisione Timothei Placita Iudaeorum simulan-  
 tem, insinuationem Euangelii quaefuisse. Ioh. Conr. Dan-  
 hauer. Coll. Decal. Disp. VI. p. 441. dicit: *Simulationem* aliam  
 esse *exploratoriam*; vt aduerfarius Iacobi Gen. XXXII. Miles  
 defensor Iof. V. Christus in forma seruili, Phil. II. (quod ta-  
 men caute dicendum) Hortulanus, Ioh. XX. &c. simulauere;  
 aliam *stratagematicam*, aliam *reftoriam*, & aliam *iniuriosam*.  
 Priores tres dicit esse licitas, posteriorem vetitam. *Aequino-  
 catio* Grotio Lib. III. Cap. I. §. X. est vox aliqua aut sermonis  
 complexio *πολύσημα*. Hanc certa conditione l. c. admittit.

Refer

*Reservatio mentalis* Grotio interpretatio tacita dicta, est, ut cum dicunt: non habeo (intelligi posse) ut tibi dem. Originem autem harum sic describit: Esse has Scholae (scil. *inuenta*) actorum paulo ante Seculorum, quae vnum ex veteribus Augustinum ferme in omnibus sequendum sibi delegerat, (h. e. Scholasticorum DD.) Haec itaque omnia excludimus a confessione nostra: Apostolus enim fidem corde conceptam absque villo dolo confitentiam praecipit.

Aduersantur nobis hic I. *Priscillianistae* & *Elcesatae*, imminente persecutione abnegari posse veritatem statuentes. Vid. Euseb. Lib. VI. c. 33. II. *Veigeliani* (Dial. de Christian. p. 39. 40. Post p. I. p. 222.) & *Fratres R. C.* (vid. Speculum Gratiae p. 20.) pollicem Priscillianistis prementes. III. *Moralistae laxiores*, quorum alii *aequinocationem* in foro conscientiae licitam esse aiunt, ut Tamburinus L. III. C. III. Filliucius Tract. V. c. I. Sanchez Lib. III. cap. VI. & alii. Quorum sententia contra lus Can. est. Vid. Dogm. P. p. 116. Nonnulli simul & *reservationes mentales* admittunt, ut Tamb. & Diana, aliique. Nos dicto nostro conuicti, & aliis illustrissimis exemplis *Salvatoris*, Ioh. XVIII, 37. *Pauli*, Rom. I, 16. *Romanorum*, Cap. I, 8. *Thessalonicensium*, 1. Thess. I, 8. *Anlicorum Neronis*, Philip. IV, 22. *Danielis*, C. VI, 26. *Timothei*, 1. Tim. VI, 12. & ipsius B. Lutheri, confessionem maxime necessariam esse dicimus, & quidem exclusa omni Simul. Dissimul. &c.

### Sectio III.

#### Abusus tradens.

**B**ellarmin. lib. IV. de iustif. cap. VII. & Gerard. Matthifius Comment. sup. Rom. p. 513. dicunt: quod & B. O. ad iustificationem requirantur; nam ore fit confessio ad salutem. Quo admissio ruiturum vmbilicum Analogiae fidei, aiunt. Ad quod responsonem supra Sect. I. Cap. III. §. X. adornauimus. Addimus hic solum hoc modo Paulum sibi ipsi fore.

contrarium Rom. III, 28. IV, 2. 3. X, 3. 4. 5. 6. 7. 11. XI, 9. 6. Nec obstat locus, quem B. Feurb. Op. Theol. p. 8, 8. citat, quod in Apol. A. C. edit. Lipf. 1612. p. 140. Confessio dicatur *opus nostrum, & effectus fidei*. Quem locum tametsi in recenti editione non deprehenderim; facile tamen concesserim certo suo sensu id VV. Approbatores admisisse.

Anton. de Dominis Lib VII. c. X. n. 28. f. 140. & Bellarm. lib. III de Eccles. Milit. Cap. XIII. argumentantur: Si fideles profitentur. E. non est Ecclesia inuisibilis; Si non profitentur, Ergo nulla est Ecclesia. Resp. prius esse falsum: quia potest illa professio non semper omnibus innotescere, sed inter ipsos confessores tantum, maxime in persecutione manere. Nec posterius valet: Si non profitentur, E. nulla est Ecclesia. A. Coetus infantium credentium non profitentur. Atqui Bell. ipse Lib. IV. de Rom. Pontif. cap. III. & VIII. Petrum abnegantem Christum non fidem cordis, sed confessionem oris perdidisse asserit.

Nec procedit illud Schlichtingii apud Schertz Coll. Anti-Soc. p. 911. ex h. l. depromptum: *E peculiariter saluantur infantes, quia confessionem edere non valent. Quodsi itaque absque confessione saluantur infantes, cur non etiam absque fide? Si absque fide, cur non etiam absque Baptismo?* Cum saluetur nemo per confessionem, sed per solam fidem, quisquis saluetur. Faxit summus ille rerum Arbiter ut singuli Confessione sua Gloriam & Honorem DEI altissimi quaerant, qui & huius Dissertationis fuit

F I N I S.

קדוש קדוש יהוה צבאות מלך  
כל-הארץ כבודו;

PRÆSES

PRÆSES  
 AUTORI, RESPONDENTI SUO  
 SALUTEM.

**R**ECTÈ fecisti, *Clarissime Domine Respondens*, tractando tam pulchrum Dissertationis argumentum, quod huic maximè tempori, quo alterum festum Reformationis seculare celebramus, maximè convenit. Non enim gratias saltem DEO O. M. debemus pro conservatâ nobis hæctenus Evangelii luce, sed præparandi quoque sunt animi nostri, ut cùm futuri temporis calamitates advenient, veritatem fortiter confiteamur, & ad exemplum majorum habitis susque deque omnium generum persecutionibus pro Evangelio vitam effundere nulli dubitemus. Hâc fide maesto Tibi, *Clarissime Domine Respondens*, hoc quod das Studiorum Tuorum Specimen egregium, animitus gratulor, voveoque, ut dignum olim fortemque Ecclesiæ athletam atque præconem Te sistas. Vale. Scripsi d. III. Nov. MDCCXVII.

**S**ic Ignatius est hic, Confessorque fidelis,  
Quem fidei movet, & quem probat ignis amor:  
IGNATI Confessor eris, dum destruis ignes  
Errorum fatuos, fervidus igne sacro.

*Scr. ex benevolo affectu igneque amore in Dominum  
Conterraneum IGNATIUM,*

Joh. Georg. Wislicen,

Specialis-Superintendens & Pastor Pfullingensis, ut &  
Rev. Capituli Reutlingensis Decanus.

**M**usa Tuum specimen, quod profers, laudat & ausus:  
Det DEUS, in Patria pramia digna feras!

*Hiscæ quidem paucis, ast prolixo affectu, Ven. & Clar. disserta-  
tionis hujus Autori, de egregiis in Theologia profectibus  
gratulabundus accini Opponens*

Joh. Jac. Mittermayer, Pofonio-Hungarus,

SS. Theol. Stud. in Duc. Stip. Theol.

**I**GNATI, Tibi nomen idem cum Martyre Patre,  
Et, nisi me fallunt omnia, fors eadem.  
Denique, qui visus fuit aureus in Patre IESVS,  
Verius in scripto est aureus ille Tuo.

M. Joh. David Rickirs,

**I**nconculsa fides, fideique professio vera,  
Sunt duo, quae summam religionis habent.  
Ista greges inter Christi discrimina gignunt,  
Quæ sine nulla potest parta patere salus.  
Haec etiam tenebris tantum non merfa, beatus  
Ante reformavit saecula bina Luther.  
Haec doceas, sicut defendis, & optimus olim  
IGNATI, Patriae praeco salutis eris.

*Adposuit actus huius disputatorii aemulus s. opp.*

Ioannes Matolai, Veterof. Vngar.

& in Duc. Stip. S. Th. Studiosus.

Quod

**Q**uod cuncta ingenti Systemata moleprehendunt,  
Id Tua succinctè pagina docta tenet.  
Credere corde etenim, claro simul ore fateri,  
Absolvunt totum religionis opus.

*l. m. adjectis*

**Joh. Fleischer, Transylv.**  
Scr. Duc. Alumn.

**M**ultis pauca doces, & paucis omnia, cultûs  
Dum fieri summam pectore & ore doces.  
Ast Tu cur doceas? causam si quærimus? hæc est:  
Ista docere minor, quam didicisse, labor.  
Hinc mihi Doctores, si Tu prius hæc Tibi discas,  
Verus in Hungaria sicque minister eris.

*Gratulandus adjectis*

**Joh. Ziegler, Cibinio-Transylv.**  
Scr. Duc. in Stip. Theol. Alumnus.

**M**ivel à Kristusnak meg szabadult nyája  
Orül, 's vigadozik Isten igéjében,  
Hogy két száz esztendő, mint Nöe bárkája  
A fok szél vizek közt töltött ő hűtében.  
Te-is azért méltán Sion feregével  
Orülsz, 's vigadozol à Te meg-Váltodban,  
Kinek szent személyét, drága igéjével  
Te megvallod nyilván, tudos íráfodban.  
Mellynek bü jutalmat az kedves hazánkban  
Idejekor vegyed, 's à Te hű tárfoddal  
Ottan vigadhatsz, mennyei házunkban  
Kiványad Istentül, à Te barátoddal.

*Tisztelendő Földjéből való buzgó szeretetű illyetün  
örvendező pennával akarta megmutatni*

**Sam. Romy, Günzino-Vngar.**  
a Sz. írásban foglaltos à Tub. Herez. Stip.

Faxit

**F**Axit Supremum Numen, Confessor ut & sim  
Tecum, quem foveas semper amore Tuo.

*Ex debito honore & amore fervido in Dominum Parentis  
mei Comerraneum IGNATIUM posui*

Joh. Andreas Wislicen,  
Philos. Stud.


**D**ie Zeiten lehren uns / Beliebter Musen=Sohn/  
Wer sich in Künsten üb't / die Musen fleißig höret/  
Der wird zu seiner Zeit von ihnen auch verehret:  
Drum wünsche / daß Sein Fleiß bald seh' verdienten Lohn.

*Dieses wolte aus schuldiger Pflicht gegen seinem geehr-  
testen Herrn Landsmann beysügen*

Joh. Christoph Kayser/  
aus Presburg / Mahler.

**E**ch gratuliere Dir  
Zu Deinem disputieren/  
Und wünsche daß Dich Gott  
Nun weiters möge führen/  
In Seine Weisheit ein/  
Ohn welche spricht Sein Wort/ 1. Cor. 1/20.  
Kein Mensch kan weise seyn.

M. F. J.



Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Margareta

St. Veronika

St. Elisabeth

St. Anna

St. Maria Theresia

St. Josefine

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Margareta

St. Veronika

St. Elisabeth

St. Anna

St. Maria Theresia

I, A

